

HOLY SEE PRESS OFFICE
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE



BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIEGE
PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLIS

BOLLETTINO

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 170506d

Saturday 06.05.2017

Letter of the Holy Father to the special envoy at the concluding celebration of the Marian Congress of Kazakhstan (Cathedral of Our Lady of Fátima in Karaganda, 13 May 2017) and centenary of the apparitions of Our Lady of Fátima

On 19 April 2017, *L'Osservatore Romano* published the appointment of His Eminence Cardinal Paul Josef Cordes, president emeritus of the Pontifical Council "Cor Unum", as the Holy Father's special envoy at the concluding ceremony for the Marian Congress of Kazakhstan, scheduled to take place on 13 May 2017, the centenary of the apparitions of Our Lady of Fátima, in the Cathedral of "Our Lady of Fátima" in Karaganda.

The special envoy will be accompanied by the Papal Mission, composed of:

Rev. Don Anton Berger, parish priest of St. Michael the Archangel (Charsk, diocese of Karaganda);

Rev. Don Vadim Bielokopitov, bursar of the archdiocese of Mary Most Holy in Astana.

The following is the Holy Father's letter to the special envoy:

Letter of the Holy Father

Venerabili Fratri Nostro

PAULO IOSEPHO S.R.E. Cardinali CORDES

Praesidi olim Pontificii Consilii "Cor Unum"

"Beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna, qui potens est" (Lc 1,48-49): haec Mariae Sanctissimae verba meditantes, laeto gratoque animo nuntium accepimus de eventibus, qui proximo mense Maio, occasione data centesimae anniversariae memoriae apparitionum Fatimae, Karagandae sollemni modo

explebuntur. Diebus enim XI et XII memorati mensis Congressus Marianus Cazakistanae agetur atque die XIII Celebratio conclusiva, nova in cathedrali ecclesia Karagandensi Dominae Nostrae Fatimensi dicata. Speramus et valde optamus quod tempus erit precis, meditationis atque spiritualis renovationis cunctis fidelibus dilectam terram Cazakistanae incolentibus.

Fausta quidem hac occasione data, Venerabilis Frater Adelius Dell'Oro, Episcopus Karagandensis, humanissime rogavit ut aliquem eminentem virum mitteremus, qui Nostras vices memorato tempore ibidem gereret Nostramque erga istum gregem dilectionem manifestaret. Itaque ad Te, Venerabilis Frater Noster, animum Nostrum vertimus, qui Praeses olim fuisti Pontificii Consilii "Cor Unum" nec non singulari excellis erga Matrem Dei devotione. Idcirco harum Litterarum vi Te designamus **MISSUM EXTRAORDINARIUM NOSTRUM**, mandatis Tibi factis, ut die XIII proximi mensis Maii in cathedrali ecclesia Dominae Nostrae Fatimensis Karagandae sacris celebritatibus Nostro nomine praesideas atque Nostros pastorales sensus fidelibus ibi congregatis humaniter renunties. De Beata Maria Virgine loquens omnes, eius exemplum praebens, ad altiorem etiam spiritalem vitam ducendam ea intercedente adhortaberis.

Dum per Te, Venerabilis Frater Noster, consalutamus Praesules, qui illuc etiam aliis ex Nationibus sunt venturi, christifideles laicos, publicarum auctoritatum mulieres virosque qui celebrationem participabunt, precibus Nostris omnes comitamur atque eos rogamus ut praeceptum caritatis in vita cotidiana usque diligentius servare pergant. Oportet enim ut cuncti fideles novis viribus novoque studio peculiarem dilectionem Christi Ecclesiae demonstrent atque fidei alacritatem.

Munus tuum magni sane ponderis aestimantes, peculiaris benevolentiae Nostrae pignus Apostolicam Benedictionem Tibi peramanter impertimus, universis celebrationis participibus transmittendam. Placet asseverare Nosmet Ipsos, illo die Fatimae adstantes atque pro Ecclesia totoque orbe orantes, singulari modo necessitates fidelium Cazakistanae intercessioni Beatae Mariae Virginis de Fatima esse concredituros.

Ex Aedibus Vaticanis, die XXVI mensis Aprilis, anno MMXVII, Pontificatus Nostri quinto.

FRANCISCUS
